

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Wilhelmus Henckenius

**Authoritate & consensu venerandae Facultatis Theologiae in alma Rosarum
Praeside ... Dn. Johanne Quistorpio, SS. Theol. Doctore ... Hanc De Aeterna
Filiorum Dei Ad Beatitudinem Et Gloriam Praedestinatione Seu Electione
Disputationem**

Rostochi[i]: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057975>

Druck Freier  Zugang



Kart.: W. Henckelius
F. Gustorp, a.
R. U. theol. 1646.

QUOD SACROSANTA TRIAS

bene vortat

**Authoritate & consensu venerandæ
Facultatis Theologice in alma Rosarum**

P R A E S I D E

Viro

**PLURIMUM REVERENDO, CLARISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO**

DN. JOHANNE QUISTORPIO,
SS. Theol. Doctore & Professore cele-
berrimo, ejusdem Facultatis SENIORE meritis-
simo, ad D. Mar. Pastore & Ecclesiarum Rostochien-
sium Superintendente Vigilantissimo, Fautore ac Promo-
tore suo æstatem suspiciendo

H A N C

D E

**ÆTERNA FILIO-
RUM DEI AD BEATITU-
DINEM ET GLORIAM PRÆ-
DESTINATIONE SEU ELECTIO-
NE DISPUTATIONEM**

Publica Eruditorum censura subjicie

WILHELMUS HENCKENIUS,
Jeverensis Frisius.

Ad diem XXI. Martii in Acroterio Majori horū matutinis.

• 8() 90*

ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typog. Anno 1646.

N 46





בָּאַלְיָה

DISPUTATIO

D E

ÆTERNA FILIORUM DEI
AD BEATITUDINEM ET GLO-
RIAM PRÆDESTINATIONE
SEU ELECTIONE.

THESES I.

Nobilissimam illam & variis jam à mille annis, & quod excurrit, in Ecclesia Latina quaestioribus agitatum & difficultatibus involutam prædestinationis seu electionis doctrinam in compendium referre, & publicæ sententiarum collationi subjicere quum ferat animus; apud omnes in confessio erit, Chrysost. illam tantam judiciorum divinorum pandere abyssum, ut rationis & Arist. judicii humani acumine eam scrutaturus, perinde faciat, ac qui candens ferrum non forcipe, sed digitis conirectare conetur. Quod si enim Aristoteles confiteri non erubuit, mentem nostram ceu vespertilionum oculos ad solis lumen meridianum, circa ea etiam quæ sunt naturâ suâ omnium manifestissima, caligare: Quanto magis ille in hisce myste- cap. 1. riis capessendis caligine obducta erit.

II. Quò itaq; de hac ardua doctrina rectè & cum fructu sermones sociemus; necessitas efflagitabit, ut animi oculos referamus ad divina testimonia, vel revelatam Dei voluntatem in doctrina Evangelica, in qua disertè docetur, prædestinatos seu electos esse ad æternam gloriam, qui per verbi divini prædicationem vocati atq; in Ecclesiam recepti verâ fide gratiam Dei per & propter Christum promissam perseveranter atq; finaliter apprehendunt. Sic Paulus servus Jesu Christi docuit Ephes. I.

A 2

cap.

cap. & in epist. ad Roman. cuius vestigiis, sicuti omnes Orthodoxi Theologoi unanimiter insistunt; Ita quoque nos deliramentis humanæ caliginis abjectis præsentem doctrinam auspicamur, non ab arcana Dei voluntate, quæ est investigabilis: neque de illa judicamus ex lege, quæ nos omnes maledictionis fulmine prosternit & necat; sed ad eum modum illam meditandam aggredimur, prout voluntas, consilium, propositum & ordinatio Dei in Christo Jesu per Evangelium nobis revelatur.

III. Quibus prælibatis, illorum sententia non adstipulatur, qui non verentur asserere, quod doctrina de prædestinatione vel offensionis sit plena, & damnum aliquod importet piis mentibus, vel etiam adeo sublimis sit, ut populo ē suggestu non sit proponenda, sed silentii nubeculā obtegenda. Hujus opinionis propugnatores aetas Augustini protrulit in Gallia, ob id Fratres Galliæ dictos. Nec ab ludunt quidam ex Calvinianis, cum primis Theodorus Beza, qui in Colloq. Mompelg. pag. 308. edit. Witteb. Anno 1605. in hæc verba non dubitavit erumpere: Neque consultum est, coram omnibus de hoc articulo conferre, ne forte plares offendantur, quam erudiantur, qui illa capere non possunt. Et pag. 310. In publico cœtu haberi hæc disputatio non potest sine gravi eorum periculo qui tantu mysterii capaces non sunt, sive nostræ, sive contraria sententia assentiantur. Unde novum exoriri dissensionis seminarium possit, ut hæc disputatio potius in scholis, inter exercitatos Theologos, quam in publico querum cœtu disceptanda sit.

IV. Cæterum nos neglectis ejusmodi judiciis, æquâ bilance rem ponderantes, conducibile judicamus, ut non solùm in scholis à literatis ad literatos, verum etiam in templis à Pastoribus secundum ductum divini verbi, missis ab humano ingenio subtilibus inventis, auditoribus proponatur prædestinationis doctrina. Etenim hic articulus rectè & dextrè explicatus veram & omnium firmissimam consolationem perturbatis mentibus præbet, quia inde certi fiunt, quod salus æterna non in manu ipsorum sit posita (quam alia multò facilius, quam Adam & Eva in Paradiso, imò singulis horis & momentis amitterent) sed nōrunt, eam in clementi divina prædestinatione fundatam esse, quam nobis revelavit in Christo, ex cuius manu nemo nos rapiet Joh. X. II. Timoth. II. Quam ob causam à Spiritu S. in multis scripturæ locis (quantum nobis de hoc mysterio ad salutem novisse sufficit) perspicue est evoluta. Si igitur illud omne, quod scriptum est, in doctrinam nostram est scri-

ptum,

ptum, ut per patientiam & consolationem spem habeamus Rom. XV.
4. Falsissimum sanè erit, quòd per prædestinationis prædicationem po-
pulo vel ad animi angustias, vel ad dissolutiorem vitam præbeatur oc-
casio.

V. Per prædestinationem autem, vel ~~electio~~ non intelligimus
illam, quæ dicitur subse habere electionem & reprobationem. Talis
enim prædestination nullibi obtinet locum, nisi in illorum cerebro, qui-
bus placet asserere, quòd detur prædestinatione quædam infidelium ad
mortem. *Catholici docent*, inquit Chamier Tom. III. Panstratiæ catho-
licæ lib. VII. de prædestin. cap. IV. §. I. *Deum ab æterno prædestinasse*
singulos homines ad suum finem; alios ad salutem; ad damnationem alios;
& illorum prædestinationem appellant electionem: horum vero, reprobatio-
nis nomine significant. Quam Calvinianorum sententiam nostro non
probamus suffragio. Nam 1. Prædestination & electio speciatim accepta
sunt synonyma, siquidem eadem utriusq; vocabuli in scriptura sunt
proprietas. 2. Prædestination nullibi in scriptura ita usurpatur, ut si-
gnificet destinationem ad mortem. Non quidem imus inficias, hoc
modo usurpari ab Augustino lib. XV. de Civitate Dei cap. I. Prospero
Aquitano respons. XLV. & XV. ad capitula Gallorum & Fulgentio
lib. I. ad Monimum cap. XIV. Hic enim aliam prædestinationem ad vi-
tam, aliam ad mortem statuunt. In scriptura autem, ut dictum est, ita
non accipitur, sed pro destinatione hominum ad vitam tantum, Rom.
VIII. 19. *Quos præscivit, etiam prædestinavit conformando imaginis Filii*
sui. Et iterum: *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Ephes. I. 5. *Præ-*
destinavit nos, quos adoptaret in filios per Jesum Christum in se secon-
dum beneplacitum voluntatis sua. 3. Ipsi Adversarii sententiae nostræ suf-
fragantur, prædestinationem esse partem Evangelii: Si igitur reproba-
tio ab Evangelio sejungitur, concedendum erit, illam non esse sub præ-
destinatione. 4. Prædestination non potest dividi ut totum prædicabile
in partes subjicibles, puta electionem & prædestinationem. Nam hoc
modo sequeretur, quòd species esset prior genere, quòd est manifestò
falsum. Distinguuntur quidem, si vocabulorum vim excutias; non au-
tem ob hanc distinctionem synonyma esse desinunt, uti præter alios
ostendit Dn. Affelmannus in *Synoptica & Thetica Manuductione ad*
doctrin. de prædestin. §. IX. Neq; illam hoc loco attendimus, quæ est
potentiaæ sed conditionis.

VI. In hac significatione non potest accipi t. πρόγνωσις vel præscientia & προειδομός. (Quæ vocabula ab hominibus mutuò sumpta nos de rebus divinis loquentes usurpatum.) Nam (α) quæ referuntur ad diversa prædicamenta, illa sane non possunt esse eadem, vel idem significare. Jam προειδομός & πρόγνωσις referuntur ad diversa prædicamenta: Nam prædestination ad actionem reducitur; Præscientia vero ad relationem secundum dici, si relativè consideratur: Si vero absolute ad qualitatem. Si igitur illa, quæ toto genere differunt, non sunt synonyma, liquidè constabit, prædestinationem & præscientiam non posse esse unum & idem (β) Præscientia latè & abstractè sumpta pro objecto habet omnes res, bonas pariter & malas: Deus enim omnia tanquam præsentia cognitione eminentे nobis impervestigabili ab æterno uno actu perfectissimo intuetur. Atqui ita præscientia non est causa rerum præscitarum, nam aliás omnia. quæ Deus præscit, fierent, cuius falsitas luculenter patet ex I. Reg. qui aliás Samuelis dicitur XXIII. 12. Matth. XI. 21. cap. XXVI. 53.

VII. Quapropter, sicut Astronomus præscit & prædictit futuras Ecclipses: & eventus prædictioni responderet; Interim tamen non sequitur, quod Astronomus sit causa prævisæ & prædictæ Ecclipses: Non enim quia Astronomus præscit & prædictit sequente anno secuturam Ecclipsin, Idecirco Ecclipsis sequitur, sed contra, quia Ecclipsis certo certius secutura est, ideo etiam beneficio artis prædicit. Sic etiam Medicus ex infallibilibus causis, vel mortem vel sanitatem ægri præscit & prædictit; Interim tamen non rectè concluditur, ergo prædictio vel præscientia Medici est causa vel mortis vel sanitatis: Non enim quia Medicus præcognoscit & prædictit ægrotantis mortem, ideo ægrotus moritur. sed è contrario, quia infallibiles causæ mortis adsunt, ideo ex illis causis quæ adesse videt, mortem Medicus prædicit: Pari ratione nec Deus prævidens, vel Dei præscientia omnium eorum, quæ futura sunt, causa dicenda erit. Non enim ideo eveniunt, quia Deus pro omniscientia sua ea futura in æternitate infallibiliter prævidet, sed potius, quia illa ex certis causis sunt eventura, ideo Deus illa præscit. Unde Theologi hanc omnino utilissimam exstruxerunt regulam: Res non pendent à scientia, sed scientia à rebus. Non enim quia Deus futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit; sed, quod nos propriâ voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quia Deus est.

IX. II.

IIX. II. Πρόσωπα vel providentia, quæ respicit omnes creatureas, & propterea longius patet quām prædestination & electio, quæ pertinet ad solos finaliter credentes. Errorē igitur committunt Calviniani dicentes: Prædestinationem distingui ab electione, si quidem hæc fieret in tempore, illa autem ab æterno; sicuti illud affirmat. Bucanus Loc. de prædestin. pag. 387-dicens: Electio significat propriè separationem, quæ re ipsa sit per efficacem vocationem certorum hominum è perdito genere humano: Metonymicè usurpatur pro ipso eligendi proposito. Quod autem hæc sententia à vero abhorreat, patet ex Eph. I. 4. ubi expressè & manifestissimis verbis dicitur: Elegisse nos Deum ante mundi constitutionem. Concedimus quidem electionem quandam dari, quæ sit in tempore, qualis est vocatio ad certum officium, vel cooptatio in populum Dei. De tali autem electione hoc loco non disceptatur: Nam Apostolus Eph. I. ubi est præcipua sedes hujus articuli utrumq; vocabulum in eodem sensu usurpat, & non tantum prædestinationem, sed etiam electionem ab æterno factam esse pronunciat. Nec ab errore, etiam immunes sunt Alphonsus Salmeron ex numero Pontificiorum, & Piscator ex coetu Calvinianorum, qui per ἀεγγύωσιν Rom. VIII. 19. volunt intelligi ἀεργειαν & εὐδοκίαν Dei; Nam ἀεργειας vel εὐδοκία Dei est, quā Deus vult, ut omnes homines participes fiant aeternæ gloriae. Præscientia autem Dei, de qua loquitur Apostolus, sumitur strictè, quantum respicit vel intuetur electos.

IX. Quod autem derur Electio vel prædestination, illud evincitur cùm ex Veteri, tum ex Novo Testamento, Exod. XXXIII. 23. mentio sit libri, quem Deus scriptit. Dan. XII. i. In illo tempore salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro. Act. XIII. 48 dicitur, crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam, & Luc. X. 20. Gaudete, quod nomina vestra in cœlis scripta sunt. Matth. XX. 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi.

X. Voce & rei existentiæ declarata, rectissimè, si perspicuam illius substernamus definitionem, munere nostro videbimus defuncturi. Prædestination est Dei ordinatio æterna & immutabilis de hominibus juxta propositum & præscientiam in Christo salvandis in laudem gloriose suæ gratiæ. Quæ definitio est causalis, & resolvitur in genus & differentiam. Genus est Dei ordinatio, cujus concretum extat Act. XIII. 48. ubi dicitur: Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam. Per

Per ordinationem autem non intelligitur actio prædicentalis, quales sunt actiones naturales, neq; actio emanans, qualis est creatio & electionis executio, quæ sit in tempore, fed transscendentalis & immanens, quam alii referunt ad intellectum: alii ad voluntatem: alii ad utrumq;. Suarez lib. I. de prædestin. cap. XVII. dubius est, & hisce tribus opinioribus enumeratis, hæc controversia dicit, multum babet de usu vocum seu de nomine: & ideo unicaq; relinquimus, ut loquatur, prout libuerit: Omnes enim relatae opiniones probabiles sunt. Nos autem dicimus ex Rom. XI. 2. II. Timoth. 19. prædestinationem ad intellectum & voluntatem, magis tamen ad hanc, quam ad illum esse referendam.

XI. Causa efficiens prædestinationis est solus Deus: Nam Deus & pater &c. Eph. I. 3. ubi Patris nominatio non excludit reliquas personas, quæ cū illo sunt ejusdem voluntatis & essentiae. Ubi autem observatione dignum, Filium Dei duplici modo considerari in prædestinatione i. ut verum Deum qui unâ & indivisiâ actione nos elegit ad vitam æternam. 2. ut Redemptorem & Mediatorem, in quo electi sumus ad vitam: Nam electi sumus ad vitam in Christo Eph. I. 4. Dicitur igitur electio æterna & Immutabilis: *Æterna*, quia facta est ante mundi fundamenta, ut hoc loco dictum est. Et gratia, quâ nos Deus in Christo servat, data nobis est ante tempora æterna II. Timoth. I. 9. *Immutabilis*, non ab illa immutabilitate, quâ absolute & simpliciter impediatur, quod minus is, qui est renatus & electus, per flagitia contra conscientiam perpetrata Spiritum S. excutiat & fidem amittat: Nam renatus totaliter & finaliter potest Spiritus S. gratiam & fidem salvificam amittere; Electus autem, non nisi totaliter & temporaliter, non vero finaliter Joh. X. 28. Etsi enim electi quidam peccant contra conscientiam, vel committunt peccata regnania, quæ Spiritum S. excutiunt: Verè tamen sunt & dicuntur electi, quum finaliter credant, & propterea sunt scripti in libro vitae, ex quo non possunt deleri propter decreti divini immutabilitatem.

XII. Dicitur quidem Psal. LXIX. 29. *Deleantur de libro viventium & cum justis non scribantur*. Et Exod. XXXII. 32. *Dele me de libro tuo*; sed hic nodus facilis negotio dissolvitur. Respondeo ad priorem locum, Impios deleri de libro vite, non per privationem, quasi in eo fuissent adscripti & postea expuncti: ab omni æternitate enim, ob prævisam impietatem, in album vite recepti non fuerunt, Apoc. XVII. 8. sed delentur per negationem, ita ut planè non inscribantur, quare statim addit: *tu*

tur: cum justis non scribantur. Deleri ergo idem est, quod non scribi. Consentit hic Augustinus Tom. VHI. in enarrat. hujus Psalmi concione secunda, dicens: Hanc deletionem non ita accipere debemus, quod quemquam Deus scribat in libro vita, & deleat illum: Si homo dixit, quod scripsi, scripsi, de tñtulo, ubi scriptum erat, Rex Iudeorum; Deus quenquam scribat & deleat? Præscius est, prædestinavit omnes ante constitutionem mundi, regnatores cum Filio suo in vita aeterna. Hos quos conscripsit, ipsos continet Liber vita. Iti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos parabant &c. Ad posteriorem Augustin. It. Q. 147. in Ex. dicit, Mosen ex ingenti quadam divina familiaritatis securitate tali ratiocinatione Deum sollicitasse: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me libro tuo: Sed non delebis me de libro tuo, in quo me indubibili charactere conscripsisti. Dimitte igitur eis hanc noxam. Hugo de S. Vict. Mosen arbitratur turbatum sic orasse, non ex ratione, sed ex impetu humanae affectionis, infirmitate & impatientia. Alii volunt Mosen hoc voto innuere ordinationem Dei, quam decreverat populum Israeliticum, ductu principatuq; Mosis, in terram promissionis inferre, adeoq; paratus exitit Moses, hoc officio & honore privari: Et quia non expressè ponitur, Dele me de libro vita, sed de libro tuo, sunt, qui librum hunc pro libro illo foederis accipiunt, de quo Ezech. XIII. 9. In scriptum domus Israël non scribatur: Hic liber (Cajetanus in Exod. vocat Librum Principatus, Paulus Burgensis librum Justorum) continebat catalogum populi Dei, ex quo Moses optavit forte se expungi, ne censeretur amplius in familia Iudaicorum, si tantum poena populus Judaicus afficiatur. Sed qui vis suo genio & ingenio abundet. Nobis haud insulsa videtur Recentiorum, etiam è Nostratibus, expositio, qui volunt Mosen hypothecè seu conditionaliter sic precatum, si nimis fieri possit, ut quis iterum deleatur de libro vita: Ex hoc ergo voto Mosaicō nihil quoq; contra electorum certitudinem de salute firmiter & solidè evinci potest.

XIII. Si vero media salutis in se spectare velimus, non diffitemur, etiam prædestinatum ex albo Dei expungi posse: nam prædestinatus non necessario sed liberè iis mediis uititur, id est, ita uititur ut possit etiam non uti, mediaq; illa repellere, sicut reprobis aliquis ea repellit & contemptum habet; quod si faceret, utiq; deleretur de libro vita & damnatur. Non potest tamen prædestinatus deleri ex illo, si præscientias.

Dei & hoc consideremus, quod quamvis ille ordinariis salutis mediis
uri & non uti, uti item & abuti possit, sicut omnes alii; Deus tamen pro-
omnis scientia sua infallibiliter norit, eum posterius illud non facturum,
nec gratiam & media salutis repudiaturum sed recte in usorum: Nam
nisi id præcivisset, vel rectius scivisset (si enim propriè & *ἀκεβάν* de
Deo loqui velimus, quoniam ipsi nihil præteritum est aut futurum, sed
omnia præsentissima, nou dicendum nobis erit, Deum aliquid præsci-
re, sed tantum scire) nullatenus in librum vitæ receptus & inscriptus
fuisse, Obiter hinc notandum quoq; censeo, Deo librum *καὶ ἀγω-*
μνήμαιαν ἥγε οὐγκατέβασιν assignari: Quemadmodum enim Ma-
gnares in vita communis suos habent libros, in quibus res & actus me-
morables sedulò annotare consueverunt, ne forte an rei alicujus ca-
piantur oblitione. Talis libri mentio fit Esther. VI. 1. ubi de Rege
Ahasvero commemoratur, quod historias & annales priorum tempo-
rū sibi jusserr adferri & appellari: *Liber monumentorum vel memorialis.*
Ita Spiritus S. se demittit ad captum nostrū, & ut aliquad antenius res di-
vinas capere & intelligere possumus, Deo attribuit librum Vita; qui ni-
hil aliud est, quam catalogus eorum, quos Deus ex mera misericordia,
propter meritum Christi, verā & non inter mortitū fide apprehensum,
& ab æterno prævīsum, ad vitam æternam elegit.

XIV. Quod autem renati, ut ad institutum nostrū revertentes non
evagetur extra oleas, per peccata contra conscientiam excidunt Dei gra-
tiā, Spirit. S. excutiunt, fidem salvificam amittunt; hoc argumento pro-
bamus. Quieunq; committunt opera carnis, ut de illis debeant poenit-
tere, nisi in peccatis mori & frustra credidisse velint; Illi committunt
peccata contra conscientiam, gratiā Dei excidunt, Spiritum S. excu-
tiunt & fidem salvificam amittunt. Quidam renati (non in suppositio-
ne formalī, sed accidentalī accepti) hoc faciunt. E. Minor probatur.
I. *Per spiculū scripturā dictū*, quæ ubi vis non solum testantur, quod justus
à justitia sua sese avertere possit, Ezech. XIIIX. 24. quod illi, qui sunt in
Christo, si secundū carnem vixerint, moriantur, Rom. IIIX. 13. quod
bonam conscientiam repellentes, fidei naufragium faciant, 1 Tim. I. 19.
quod multi cadant, & ab oleastro refracti sint propter incredulitatem,
Rom. XI. 9. 20. quod illi, qui fornicantur, ex membris Christi faciant
membra meretricis, 1. Cor. VI. 15. 16. quod in novissimis temporibus
quidam à fide sint discessuri, 1. Tim. IV. 1. verū etiam fidelissime adhor-
tatur

tetur omnes fideles, ut in fide constanter perseverent; neq; se à quo vis
vento doctrinæ abripi patientur, à peccatis sibi caveant, ne istis conta-
minentur, annexâ comminatione, ne poena ipsos obruat & æternum
pereant. Confer etiam Matth. XIII. 31. 32. Hebr. VI. 4. 5. 6. cap. X 26.
27. descriptionem peccati in Spiritum S. quod tantum ab illis commit-
titur, qui veritate agnità, veram fidem habuerunt. Certè Scriptura non
solum falsitatis argueretur, sed etiam frustra cohortationes, commina-
tionesq; illa instituerentur, si renati gratiâ Dei excidere, Spiritum S. ex-
cutere & fidem salvificam amittere non possent.

XV. II. Probatur id manifestis exemplis. Certè David erat vir se-
cundum cor Dei, sicut eum hoc elogio ornat Samuel I. Sam. XIII. 14.
¶ observabat præcepta ejus, ¶ sequebatur eum extoto animo, faciendo tan-
tummodo quod rectum videtur in oculis ejus, i. Reg. XIV. 8. Et tamen in-
adulterium non solum incidit, & homicidium commisit, sed & in illa
securitate & impenitentia per totius fermè anni curriculum perman-
dit, sicut ex II Sam. XI. & XII. constat: Quo temporis spacio sanè gra-
tiâ Dei excidit, Spiritum S. excusit & fidem salvificam amisit, ita qui-
dem, ut ipse Beza vi veritatis coactus sit fateri 2. part. Respons. ad col-
loq. Mompelgard. p. 74. Davidem, si in ista impenitentia mortuus
fuerit, damnatum fuisse. Multò plura exempla in N. T. adferuntur. Pau-
lus mentionem facit Hymenei & Alexandri, i. Timoth. I. 19. Retine,
inquit, fidem & bonam conscientiam, quâ expulsâ nonnulli fidei naufragi-
um fecerunt, ex quibus est Hymenaeus & Alexander, quos tradidì Satanae,
ut castigati discederent non blasphemare. Hymenæi item & Phileti I. Ti-
mooth. II. 17. Sermo eorum, ait, depascet ut gangrena ex quibue est Hyme-
naeus & Philetus, qui circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes resurre-
ctionem jam factam esse, ¶ subvertunt quorundam fidem, & Dema II. Ti-
mooth. ult. 10. Stude mox ad me venire: nam Demas medeseruit, amo &
inductus præsentis seculi. Atq; ut verborum faciamus compendium, la-
tam fenestram securitati & impietati aperit contraria sententia: Quis-
quis enim id sibi persuaserit, se quim semel renatus est, nec gratiâ Dei
excidere, nec Spiritum S. excutere & fidem salvificam amittere posse,
ille non amplius de salute sua erit sollicitus, sed cogitabit: Non possum
amplius, quantumvis etiam enormia peccata committam, gratiâ Dei
excidere, Spiritum S. excutere & fidem salvificam amittere: proinde
fræna carni meæ laxabo. Quàm periculosisimus hic sit scopulus, ne-

minem præterite autumo. In illum itaq; ne impingamus, concedamus
necessum erit, renatos gratiâ Dei excidere, Spiritum S. excutere & fidem
salvificam amittere posse, & nisi mature resplicant, in summo animæ
periculo versari.

XVI. Sciendum autem, non commovisse Deum opera hominum
vel præcedentia vel etiam futura, ut illos ad vitam æternam eligeret vel
prædestinaret. Non dum enim natis pueris, quum neq; boni quippiam
fecissent, neq; mali (ut secundum electionem, propositum Dei maneret)
non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi: *Major serviet minori.* Quæ sententia uberior explicatur, Eph. I. 4. ubi dicitur 1. elegisse,
nos Deum in Christo, id est, propter Christi meritum. 2. Ut essemus sancti & irreprehensibles non autem quia essemus sancti
& irreprehensibles. 3. Antequam posita sunt mundi funda menta. 4. In laudem glorioæ gratiæ. Malitiosè igitur Pelagiani & Pontificii contendunt, dicentes: Deum bona vel bonum liberi arbitrii usum
ab æterno in hominibus prævidisse, ab quem illos ad vitam æternam
elegerit, sicuti testatur Augustinus de Pelagianis, quando dicit: *Præscibat Deus*, ait Pelagius, *qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium,* & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quâ tales esse futuros præscivit, elegit: *Elegit ergo, inquit, antequam essent, quos futuros sanctos immaculatosq; præscivit.* Bellarminus
distinctionis limâ frustra adhibitâ lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap.
14. dicit: *Eleçio æterna duobus modis considerari potest;* primo modo, ut est
intentio dandi gloriam; secundo modo, ut est *dispositio executionis,* & quasi
executio in mente divina. Priori modo electio est merè gratuita, & nullam
prærequirit operum prævisionem; Posteriori modo præexigit meritorum
prævisionem, non enim vitam æternam sub ratione premii dare dispositus,
nisi iis, quos bene operaturos esse prævidis.

XVII. Nos autem constanter asserimus, electionem fieri ex mera
Dei gratia & misericordia propter Christum Mediatorem ejusq; meri-
tum. Etenim Roman. IX. 15. & Exod. XXXIII. 19. dicit Deus: *Miserebor,*
cujuscunq; miserebor, & commiserebor, quenamcunq; commiserebor. Itaq;
non volentis est, neq; currentis, sed miserentur Dei. Quæ verba à Theolo-
go quodam celeberrimo ita exponi gratâ mente recolo: *Miserebor,*
cujuscunq; miserebor, id est, gratiam meam ei impertiar, cuius ab æter-
no misereri constitui, Constitui autem misereri non currentis, vel gra-
tiam

tiam mereri volentis, sed credentis in Christum Mediædrem. Hinc evidenter patet, quantoperè errant Calviniani, dicentes: Deum absolu-
tè quosdam homines elegisse, quosdam autem simplicitè reprobasse.
Quam sententiam defendit Chamier Tom. III. Panst. Cath. lib. 8. de-
prædestin. cap. I. § II. dicens: *Docent igitur Catholici* (quos nos Calvi-
nianos vocamus) *ex humani generis massa*, jam ab æterno, Deum alios
quidem prædestinasse ad vitam æternam, id est, elegisse: alios autem præ-
destinasse etiam: sed ad interium æternum, id est, reprobasse, & utrosq; quia
voluerit. Istāq; causā dari posse nullam superiorem. Itaq; eos ineptire, ac longe
lateq; distendere oratione, qui querunt causam, quare hunc prædestina-
re voluerit ad salutem; illum verò ad interitum. Imitatur igitur Calvi-
num, qui lib. III Institut. cap. 22, §. II. dicit: *Si non possimus rationem*
reddere, cur Deus suos misericordiæ dignetur, nisi quoniam illi placet, neq;
etiam in aliis reprobandis aliud habemus, quam ejus voluntatem. Quum
enim Deus dicitur vel indurare, vel misericordiæ prosequi, quem voluerit,
eo admonentur homines, nihil cause querere extra ejus voluntatem. Quod
dogma horrendum & blasphemum est, ob quod Christianum pectus
merito exhorrescit: Nam adversa quasi fronte illi repugnat i. Creatio
omnium hominum in Adamo ad imaginem Dei. 2. Universalis Dei mi-
sericordia, & benefica erga omnes voluntas. 3. Universale Christi meri-
tum. 4. Universalis ad regnum Christi vocatio.

XIX. De Imagine Dei, ad quam omnes homines sunt creati sa-
cra pagina docet Gen. I. 27. Sapient. II. 23. Tale igitur formatur argu-
mentum. Quoscunq; Deus creavit ad Imaginem suam, illorum nemini
absolutè rejectit. Atqui omnes homines in Adamo creavit ad ima-
ginem suam. E. neminem illorum absolutè rejectit. Majoris consequen-
tia probatur, quia imago est justitia & sanctitas vitae, Ephes. IV. 24. Si
igitur Deus omnes homines in Adamo creavit, ut essent justi & sancti,
sequitur falsum esse, ipsum velle, ut quidam sint injusti & absolutè rejic-
tiantur. Minor facilis est probatu, quia omnes posteri Adami per la-
plum Imaginem Dei amiserunt. *Quemadmodum enim*, inquit Aposto-
lus Rom. v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introiit*, ac per
peccatum mors: & sic in omnes homines pervasit mors, quia omnes pecca-
verunt &c. conf. vers. 16. 17. 18. 19. Ergo in Adamo stante omnes Ima-
ginem Dei habuerunt, & per consequens etiam ad illam omnes in Ada-
mo sunt creati.

XIX. Quare falsissimum est, non pari conditione creari omnes,
sed aliis vitam æternam præordinari; alios à Deo opifice ad interitum
esse conditos. Dicitur quidem Proverb. XVI. 4. *Omnia operatur Dominus propter se; Impium quoque ad diem malum.* Ex hoc loco autem minus
rectè colligitur, Deum creare quosdam homines ad malum culpæ; sed
probatur Dei providentia & gubernatio, quâ impios tandem propter
delicta punit. Nam per diem malum, juxta Spiritus S. phrasin indigita-
tur impiorum merita poena, sicut ex Psalm. XLII. 2 Psal. XLIX. 6. Pro-
verb. XV. 15. constat. Quod etiam Lavaterus comment. in h. l. agno-
scit, dicens: *Non est ex his verbis collendum, Deum condidisse impium;*
ut impium, nam impius, ut impius, non est ex Deo, sed ex Patre Diabolo,
nec de creatione (Salomon) loquitur, sed de gubernatione illius, quâ etiam
impiorum animas sic gubernat, ut ad gloriam suam faciant (Impietatem
videlicet eorum meritis penitentia castigando.)

X X. De universali Dei misericordia & benefica illius erga omnes
homines voluntate in Evangelio revelata dicitur Joh. III. 16. *Sic Deus di-lexit mundum, Ezech. XXXIII. 11. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortē*
impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat I-Tim. II. 4. Deus omnes
homines vult servari & ad agnitionem veritatis venire. II. Petr. III. 9. Pa-
*tienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitenti-
tiam reverti. Rom. XI. 32. Conclusit Deus omnes in Incredulitatem, ut o-
mnium misericordia. Matth. XI. 28. Venite ad me omnes.* Hinc tale for-
mamus argumentum: Quoscunq; Deus diligit, illorum neminem abso-
lutè rejicit. Atqui omnes homines sunt illi, quos Deus dilexit. Ergo o-
mnes homines sunt illi, quorum neminem absolutè rejicit. Majoris
consequentia probatur, quia dilectio notat actum, quo cupimus uniti
cùm illo, quod eligimus. Si igitur Deus omnes homines dilexit, sequi-
tur illum non voluisse quandam illorum rejicere, sed potius cum omni-
bus spiritualiter uniri. Minor probatur ex citatis locis, ubi per mundum
intelliguntur omnes homines.

X XI. Contendunt quidem Adversarii, Mundi vocabulum esse
accipiendum pro parte mundi digniore puta electis: Destituuntur au-
tem omni scriptura testimonio. Chamier tom. III. c. VII. de mundo
& gentibus §. IV. dicit: *Cum mundus sumitur pro universo genere huma-
no, dicimus hoc ipsum fieri dupliciter: Vel Universaliter, vel Indefinitè.
Universaliter scilicet, cum nulla admittitur exceptio: ut cum & pecca-
tum*

eum & mors dicuntur in mundum venisse. Indefinitè vero, cum universalis nomine non omnes ad unum partes includuntur, sic tamen ut nulla etiam nominatim excludatur: ac tunc ad veritatem dicti sufficit pars Indeterminata. Quod vult probare §. VI. ex Johan. III. 16. dicens: Cum enim dixit Christus, sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum derit: tum statim addidit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam hic aperiè describitur & fructus proveniens ex morte Christi: & simul iij, ad quos iij fructus provenit. Nam si mundus universaliter esset nominatus, & non Indefinitè: Oportuerat dici, ut omnes habeant vitam æternam. At hoc minime: sed ut omnis qui credit in eum; coercens universalitatem. Quibus verbis sine omni fundamento tollitur Universalis dilectio, quâ Deus motus dilexit omnes homines, atq; illis Filium suum dedit unigenitum, qui pro totius mundi peccatis satisfecit, ita ut velit omnes homines salvos fieri, cunctisq; salutis media exhibeat: Quum tamen distinguendum erat inter dilectionem Universalis & Particularis, simulq; ostendendum, particularem dilectionem esse, qua Deus non diligit mundum in maligno positum, sed solos credentes, qui salutis media apprehendunt, & rectè usurpant.

XXII. Quod autem detur universalis Dei dilectio & misericordia, probatur cum ex ep. ad Rom. XI. 32. Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur, id est, Deus in judicio suo omnes habuit pro peccatoribus, ut omnium misereatur: tum ex illis scripture locis, in quibus eripitur dicitur: Deum velle omnium hominum salutem, & nolle, ut aliquis pereat. Quæ loca infringere allaborat Chamier tom. III. cap. VI. §. III. Distinguendo inter èudoxias, quâ Deus decernit aliquid suo tempore fieri, ad quam refertur prædestinatio: & èvagésias, quâ velit hoc illudire ab hominibus fieri, juxta sua præcepta, sive ex officio. Sed facilis est responsio: Deum quædam velle απλῶς vel simpliciter & absolute, quædam autem ἀποτελῶς vel contionaliter: Quæ Deus absolute vult, illa semper fiunt, & non possunt non fieri; Quæ autem vult cum conditione, illa non nisi conditione & mediis positis eveniunt. 2. Salutis media dupliciter considerari (α) prout ex parte Dei sunt ordinata & omnibus hominibus offeruntur (β) prout ab hominibus acceptantur & repudiantur.

XXIII. Illustrantur hæc pulchre exemplo alicujus Regis aut Principis, qui subditos suos ditare potest, & eos etiam ditescere serio optat,

optat, destinat itaq; cuilibet mille aureos ad paupertatem eorum sublevandam: Eum sanè habere voluntatem hactenus omnes ditandi, nemo inficiabitur; Interim tamen expetit, ut in ipsis gratiam ambulent centum passus, quibus confectis decrevit illis erogare, quod promiserat. Quum autem sint cœci & debiles nequeunt huic suppositioni satisfacere: Quapropter in promptu habet Rex sive Princeps eximium ali quod oleum, quo contacti omnes recipient vires ad conditionem præstandam. Quidam verò eorum ita perversi sunt, ut repellant & nolint ungi hoc oleo, Quare illi soli, qui inuncti reapsè ambulant & Regis sive Principis votum explent, potiuntur dono illo mille aureorum, reliquis à perfruitione oblatorum beneficiorum propter ingratitudinem & contumaciam exclusis & excisis. Vel ponamus aliter, quod fortasse amagis quadrat: Sit cœtus aliquis lascivientium puerorum in lacum quendam propriâ culpâ prolapsus. Accedat autem Heros quidam, qui eorum miseriâ commotus conetur omnes eripere, posita conditione quadam scil. se in lacum descensurum & erepturum, si omnes manum sustollere & alterius manui invicem inserere haud renuerent. Heros ille non quidem est causa, non detrusit illos in lacum, interim tamen se promptum paratumq; ostendit ad succurrendum & salvandum, dummodò manum sustollant, & alterius manui invicem inserere non respuant. Quod si autem viribus ita attriti, ut nequeant eandem elevare, & alter alteri porrigeret: habeat heros ille in promptu unguentum sive oleum quoddam, quo sanificant, ut possint præstare conditionem, & effundat illud per totum lacum, ut omnes contacti vires recipient: Quidam autem nolint admittere, & manum quanquam polleant, porrigeret, eorum perditionis causa non est ascribenda illi heroi, sed suæ ipsorum voluntati. Ad eundem modum Deus in lacum hujus mundi oleum prædicationis Evangelicæ effusit, si illud admittere non detrent homines, tum unâ cum Evangelio confertur salus & gratia, ut possint conditionem implere, quam Deus vult. Verum ut Heros ille non imponit pueris necessitatē, sed facultatem duntaxat manus porrigidendi; Ita Deus neminem necessitat, sed potest quisq; repellere oleum illud prædicationis Evangelicæ, atq; ita salutis media repudiare. Ex his similibus, quæ à Thcologo quodam Eminentissimo in publicis lectionibus proponi memini, facili negotio potest intelligi, quomodo salus nostra se habeat.

XXIV. Un.

XXIV. Unde pii veteres pulchram & utilem efformaverunt quoque distinctionem, quā utitur Chrysostomus tom. IV. sermon. sup. epist. ad Ephes. Damascenus lib. 2. de orthodoxa fide cap. 29. & distinguunt inter voluntatem Dei τοῦ γένους αὐθεντικήν antecedentem, vel ἐπορθητικήν consequentem. Hac distinctione non dividitur Dei voluntas, quae in Deo una & indivisa est; sed ostenditur geminus illius respectus. Nam in antecedente voluntate, verba sunt D. Gerhardt tom. 2. pag. 146. § 79. respectus habetur mediorum ad salutem, prout ex parte Dei ordinata sunt & omnibus offeruntur. In consequente voluntate respectus habetur eorumdem mediorum, sed prout ab hominibus acceptantur vel negliguntur. Antecedens voluntas ideo sic appellatur; quia considerationem obedientiae vel inobedientiae hominum praedita, & respectu constat simplici, quo beneficia illa Dei voluntas equaliter se habet erga omnes. Consequens voluntas ideo sic appellatur, quia considerationem obedientiae, vel inobedientiae hominum subsequitur & respectu constat determinato, prout eadem voluntas se habet ad homines, τέλον illam mediorum ipso actu vel sequentes vel negligentes.

XXV. Non igitur illam sententiam nostro probamus calculo, in qua describit voluntatem antecedentem & consequentem Chamier loco citato §. VII. quando dicit: Alii voluntatem distinguunt in Antecedentem & Consequentem. Ut antecedens ea sit, quae res singulas considerat, absq[ue] ullis circumstantiis: Consequens autem, quae varias addit circumstantias. Deum igitur attendentem in primo signo: Ita enim loquuntur, hoc est, simpliciter hominem voluisse omnes salvare. At vero cum consideravit tanquam peccatorem & in secundo signo, tum noluisse omnes salvare: sed tantum quosdam; Horum reip[ublicae]aem sententia est cum iis, qui distinguunt velleitatem à voluntate. Velleitatem appellant, Eo modo quo dicimus; vellem integrum conservare membra corporis mei: et si alioquin velim abscondi brachium propter presentem necessitatem. Ita Deus vellet (& inde facta velleitas) hominem salvari, sed intercedente peccato vult damnari. Quibus cognitis patet, nullum fundamentum habere distinctionem illam voluntatis, quam habet Chamier, vel qua distinguuntur inter voluntatem Dei revelatam seu signi, & inter voluntatem Dei occultam seu beneplaciti. Nam si datur voluntas signi, non immerito queritur, quid signet? Si dicitur, illud quod consentit cum Dei voluntate, erit voluntas beneplaciti. Si illud, quod non consentit, falso significabit, quod non erat dicendum. Alii declarant voculam omnes, di-

entes: Deum velle omnes salvare, id est, singula genera hominum, non autem singula individua generum. Alii omnes reduplicative explicant, & dicunt, Deus vult omnes salvare qui salvantur. Sed hos omnes remittimus ad Chamier, qui loco citato §. IX. dicit: Harum distinctionum neutram esse accommodam.

Cyprian.
lib. 2.
epist. 7.

X X VI. Absit etiam & sub æternæ salutis dispendio à nobis absit, ut suspicemur, Deum non serio velle, ut omnes homines resipiscant, & beneficiis spiritualibus fruantur: Contrarium enim testantur Christi lachrymæ, & Dei juramentum. *Lachrymis*, quæ sunt doloris legati, testatus est æternus Dei Filius, se nolle, ut Judæi in peccatis perirent, non tanum quoad interitum temporalem, ut singunt Adversarii, sed etiam æternum. Quia enim Judæi non agnoverunt tempus gratiæ, quo ipsos colligere voluit, perinde ut gallina pullos suos colligit Matth. XXIII. 37. affecti sunt pœnâ temporali & æternâ. *De Juramento Dei*, inquit Hieronymus, Tom. 2. ep. 46. *Idcirco jurat Deus, ut si non credimus promittenti, credamus saltem pro salute juranti.* Quod Dei Juramentum quum sufficienter seriam Dei voluntatem significet, in aliud latibulum & vanum subterfagium sese proripiunt Calviniani, ut distinguant 1. Inter mortem temporalem & æternam. 2. Inter impios vel peccatores convertentes, & inter impios in peccato perseverantes, atq; hisce distinctionibus datis, nonnulli haud dubitant statuere, Deum nolle mortem peccatoris resipiscens: Alii Deum nolle mortem temporalem. Quomodo autem hæ explicationes convenient, & textum corruptant, ex ipso textu ḥΦθιλμοΦανερῶς appetat. Nam Ezech. XVIII. 32. cap. XXXIII. II. dicit Deus: *Convertimini à vii vestris malis, ut quid morienti domus Israël:* Ex quibus manifestò patescit, agi hoc loco potissimum de illa morte, quæ non est communis poenitentibus & impenitentibus; sed de illa, quæ per poenitentiam & conversionem vitari potest.

X X VII. De merito Christi dicitur Joh. I. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, 1. Joh. II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et cap. IV. 14. *Nos vindimus & restitucimus, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi*, Psal. LIII. 6. *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrorum*, Rom. V. 8. *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod quam abduc effemini peccatores*, Christus pro nobis mortuus est, 1. Cor. XV. 22. *Sicut*

87

in Adam omnes moriuntur : Ita & in Christo omnes vivificabuntur, II. Cor. V. 15. Pro omnibus mortuis est Christus, I. Tim. II. 6. Qui dedit redemptio- nem semetipsum pro omnibus. Exinde tale formamus argumentum. Quoscumq; Christus redemit, illorum neminem absolute Deus rejecit. Atqui omnes homines , etiam illos qui pereunt, Christus redemit. Erg. illorum neminem absolute rejecit. Major luce sua radiat , quia hæc fuit Dei bona voluntas, ut Christus non pro quorundam, sed omnium hominum peccatis satisfaceret. Si igitur hoc ipso Deus omnibus hominibus bene voluit , falsissimum certè erit, ipsum quosdam homines rejecisse.

XXXIX. Chamier distinctionem facit I. Inter meritum absolutè dictum & meritum ex pacto. Nam distinguo, inquit lib. 9. de causa sub. alterna reparationis cap. I. §. V. VI. VII. *Inter Meritum absolutè dictum & Meritum ex pacto.* Meritum absolutè , opus est alicujus bono factum, ita ut eum, cuius bono factum est, pleno jure obliget, obnoxiumq; benefaciendis efficiat, eo ipso quid sit. Sic in rebus humanis generatio, educatioq; meritum est parentum in liberos , ita ut velint nolint liberi, eo ipso quid geniti sunt, & educati, nihil non debeant parentibus , Meritum verò ex pacto , opus est, cui per se , cùm nulla sit rū obligandi , tamen ex voluntate communi , sive compacto, sit obligatorium, ita ut debeatur merces tales, tantaq;. Sic Rex currenti proponit præmium. Hic nemo necessit ita naturā comparatum esse, ut nemini quantumvis velocissimè currenti jus sit repetendi premii, aut à Rege , aut ab ullo alio. Et tamen supposito editto , fatentur omnes deberi, deberi autem non fortuitum quodvis , sed id ipsum , quod fuerit à Rege constitutum. Hac posita distinctione nunc pronunciamus , si de Merito loqua- mur ex compacto, Christum vere, pleneq; nobū meruisse à Deo salutem ater- nam, & quicquid ad eum pertinet. Sin autem de Merito absoluto , tunc sa- ne negamus, Christum potuisse quicquam mereri. Quam sententiam pro- bare annititur i. hoc argumento. Nemo hominum potest eo modo Deum promereri. Christus est homo. Ergo Christus non potest eo modo Deum promereri. Verum huic objectioni facile occurrimus.

i. Distinguendo inter hominem nudum & Osári Geomv & sic. 2. Limi- tando Majorem , Nullus modo nudus potest simpliciter per se & meri- to absoluto Deum promereri. 3. Negando Minorem , Nam meritum Christi non consideratur ut nudi hominis, sed ipsius Filii, qui à Patre non est divisus, neq; separatus; sed essentia liter unum cum Patre. Hinc

scriptura inculcat, Deus suo sanguine redemit Ecclesiam, Acto. XX. 29.
& I. Joh. I. 8. Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis. Hic æternus Dei Filius legi semetipsum subjecit, ut eos qui sub lege erant, redimeret & nos adoptionem filiorum recipere mus, Gal. I V. 4. 5. Huc pertinet, quod Megalander noster Lutherns scriptum reliquit, Tom. 7. pag. 264. Si in una lance appendantur peccata nostra, & ira Dei peccatis debita; atq; in altera lance ponatur tantum naturæ humanae mors, aut homo tantum pro nobis passus, tunc altera lance deprimet nos ad infernum uig. Quod si vero in adversa lance ponatur Dei passio, Dei mors, Dei sanguis seu Deus pro nobis passus & mortuus, tunc gravior & ponderosior fiet ista lance, quam omnia peccata nostra & universa Dei ira.

XXIX. Non igitur Chamier actiones & passiones Christi ita debet inueniri tanquam humanæ tantum naturæ actiones & passiones, sed ut actiones *Carthaginis*. Etsi enim passio & mors Christi per naturæ conditionem non competit Deo, tamen propter intimam & inseparabilem naturarum communionem ex unione personali ortam non minus ad Dei Filium pertinent, quam si illa in ipsa natura divina sustinisset. Neq; locum habet, quod Calvinus dicit lib. 2. Institut. cap. 17 sect. 1. Evidenter, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei non fore merito locum; quia non reperietur in homine dignitas, qua posset Deum promereri. Quum enim meriti Christi vis & efficacia sit infinita propter personæ infinitatem; homo credens simpliciter & per se Christum iudicio divino recte opponit, sibiq; firmiter persuadet, se non absolutè, sed meriti Christi & fidei salvificæ intuitu esse electum. Nam alias in tentationibus suis non posset erigi, & veram conscientiæ tranquillitatem, vel animæ requiem invenire.

XXX. Secundum argumentum Chamier hoc modo format cap. 3. §. V. Nemo prædestinatus ab æterno meretur à Deo quicquam merito absolu to. Atqui Christus ab æterno est prædestinatus. Erg. Major probatur, quia prædestinatio est ipsum Dei decretum antecedens omnem causam, ex quo sit, ut unumquodq; existat suo tandem tempore: Non enim prædestinatur aliquid, quia futurum est, sed contra futurum est, quia est prædestinatum. Quare Christus cum nihil pro nobis meruerit, nisi quatenus sit Mediator: & Mediator sit ex certo prædestinationis decreto: omnino necessum est, nihil eum meruisse, nisi ex æterno prædestinationis decreto. Minorem conatur probare ex
I. Petr.

1. Petr. 1. 20. Sed respondemus i. distinguendo inter prædestinationem
κατεχόντως, & inter prædestinationem αὐτοῦ & propriè dictam,
2. Limitando Majorem, Nemo prædestinatus ab æterno ad salutem
per fidem salvificam assequendam meretur à Deo aliquid merito absolu-
to. 3. Negando Minorem, Nam (1) Christus ordinatus est ad salutem
nobis promerendam (2) In textu Græco habetur non prædestinatus,
sed præcognitus, 4. Argumentum invertendo. Si Christus est præco-
gnitus ante mundi constitutionem, & electio facta est, secundum
præcognitionem, uti vers. 2. dicitur, sequitur Meritum Christi non ex
compacto, sed ex se esse acceptatum, & Christum aliquid absolutè po-
tuisse mereri. Atqui antecedens est verum. Ergo & consequens. Majoris
consequentia probatur: Si enim qui sunt electi, Deo placuerunt, &
absq; intuitu meriti Christi & fidei salvificæ, nemo potest Deo placere:
sequitur meritum Christi apprehendendum esse priùs ratione ordinis
ipsâ electione vel prædestinatione, & Christum suo merito illud impe-
trasse, ut finaliter credentes æternæ gloriae fierent participes. Nihil
ergo evincit probatio Chamier dicentis: Prædestinationem esse ipsum
Dei decretum antecedens omnem causam. Etsi enim electionis decre-
tum est æternum, atq; Deus uno simplicissimo actu omnia præscivit,
oportet tamen, ut ordinem infinitati nostræ in scriptura ostensum
nequaquam turbemus. Intrepidè igitur asseveramus cum Dn. Gerhar-
do ex Tom. 2. pag. 208 §. 159. Constituit Deus ab æterno ex mera boni-
tate, hominem ad imaginem sui creare, ut esset, à quo agnosceretur & ce-
lebraretur, & qui cum in se eterna beatitudine perfrucretur. Prævidit au-
tem hominem lapsorum, & cùm omni sua posteritate, quæ erat in ipsis
lumbis, se à Creatore aversarum: Constituit igitur homini per fraudes
Satane decepto viciò auxiliari, & sic invenit remedia, quibus amissa
salus ipsi restitui posset, proinde fecit decretum de mittendo Filio in car-
nem, & de beneficiis ejus obedientia & satisfactione partis per Evangelii
prædicationem toti mundo offerendis. Prævidit autem, quosdam per illud
verbū efficacia spiritus S. credituros, reliquos suā culpā insreddulos man-
suros: Illos elegit, has reprobavit.

XXXI. II. Distinguit inter Meriti Christi sufficientiam & Effica-
ciam. Quæ distinctio usurpatur quidem à Patribus, Scholasticis & No-
stris, non autem in eadem significatione. Loquatur Dn. Affelman-
nus in Synoptica & Thetica munudoct. ad doctrin. de prædestin. thes. 67.

Nos cum Parribus & scholasticis quando doteimus, Christum non pro omnibus mortuum esse efficienter, non aliud voluntus, quam non omnes sibi applicare Salvatorū lūt̄go, quod tamen pro omnibus acquisitum fuit sufficienter, vel pro omnibus Christum mortuum intensive, non extensivē. Unde Duplex emergit redemptionis, in efficacem & inefficacem; Inefficacem vero non ratione acquisitionis; sed applicationis, item reconciliationis in actualē & formalem, distinctio. (Chamier autem non dubitat scribere lib. 9. de Merito Christi cap. 5. §. V. Mortis Christi efficaciam ad solos fidèles sive maris prædestinatos restringimus, hoc sensu: ut & si pharmacon sit verē & ēz̄inḡoꝝ per se potens & omnium, & singulorum hominum peccatū purgandis ex piandū, tamen reverā electorum duntaxat purgavit & expiarit. Idq; non hoc tantum sensu, ut nunquam ullus reprobus salvandus fuerit, aut etiam salvandus sit; sed ut ne particeps quidem factus illorum beneficiorum, que per se vera sunt & certissima media ad salutem: Quales sunt reconciliatio, remissio peccatorum, justificatio & si quod aliud vocabulum est, quo illa significare soleant, aut possint beneficia &c. Verū ejusmodi antea pronunciata distinctionis applicatio in cerebri humani liripippio excocta nullo nititur Scripturæ fundamento, cui potius diametraliter contrariatur: Nam Meritum Christi dupli consideratione venit 1. ratione acquisitionis. 2. Ratione applicationis. Si igitur defecitus quidam datur in hominibus nonnullis, oritur ille non ex meriti Christi inefficacia, sed in dispositione subjecti propter fidei absentiam. Res similitudine evadet clarior. Sint in quadam urbe multi ægroti, ad eos accedat Medicus quidam peritissimus, qui eorum misericordia motus, velit omnes pristinæ Sanitati restituere, si pharmacum præsentissimum apprehendant & assumant. Quod si verò illud pharmacum contemptum habeant, atq; in terram profundant, sanè non sanabuntur, sed miserrimè peribunt. Sic Christus verus ille Medicus ad nos corpore & animâ deperditos venit, & ut sanemur, parat pharmacum eximum, illud in suo verbo & sacramentis nobis offert, si illud non apprehendamus & verà fide nobis applicemus, de nobis actum erit. Unde illud Bernhardi sermon. 32. sup. Cantic. nobis commendatum habemus. Tantum quisq; de hisce bonis possidet quantum voseſſ. ducie colligit. Et Augustin. ad articol. falsō sibi imposit. art. I. Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet equidem in se, ut omnibus prospicit, sed si non bibitur, non proficit.

XXXII. De

U
veritate sed ex
scripturis

XXXII. De Vocatione Universalis dicitur Marc. XVI. 15. Luc. XXIX. 47. Matth. XXIX. 19. Acto. XVII. 30. Col. 1. 28. Esa. LXV.
2. Quam vocationis universalitatem quum non possint infringere Calviniani, in subsidium vocant distinctionem illam, quā distinguunt inter vocationem Internam & Externam, Efficacem & inefficacem, vel electorum propriam & communem. Nam nibil erit ambiguum, inquit Calvinus lib. 3. cap. 24. sect. 8. Si tenemus, quod debet ex superioribus liquere, duplēcēt esse vocationis speciem. Est enim universalis vocationis, quā per externam verbi predicationem omnes pariter ad se invitat Deus etiam quibus eam in mortis odore & gravioris condemnationis materialē proponit. Est altera specialis, quā ut plurimū solos fideles dignatur: dum interiori sui spiritus illuminatione efficit, ut verbum predicatum eorum cordib⁹ insidiat. Chamier distinguit tom. 3. Panstratiæ cathol. lib. 8. de prædestin. §. XXVI. Inter vocationem efficacem & inefficacem. Nam quando Sanctus Iesu ita colligit, Deus omnes peccatores vocat. Ergo omnes vult salvos fieri, tum respondet, Negando antecedens; quia non omnes inquit, peccatores vocantur exteriori vocatione. Multi enim sic relinquuntur in statu naturæ, ut de Christo ne audiant quidem. Et §. XXIX. dicit; Non enim omnes sic, id est, vocatione efficaci vocantur non tantum, quia multi omnino non vocantur: sed etiam ex iis ipsis, qui vocantur, pauci sunt electi. 2. respondet Concedendo §. XXX. Vocationis ad nuptias significare vocationem universalem. Ex quibus patet præcedentem distinctionem non recte posse accommodari. Etenim si vocatione ad nuptias est universalis, sequitur vocationem non posse dispesci in efficacem & inefficacem. Atqui prius est Verum. Ergo & posterius. Majoris consequentia probatur, quia §. XXVI. loci citati dicit Chamier, quod multi homines relinquuntur in statu naturæ, & propterea non vocantur vocatione inefficaci; Pauci vero vocatione efficaci. Si igitur multi sunt homines qui non vocantur vel vocatione inefficaci vel efficaci, sequitur quosdam homines, vel simpliciter non vocari & per consequens vocationem non esse universalem. Atqui posterius est fallum. Nam vocationem ad nuptias universalem esse, concedit Chamier & Calvinus. Ergo & prius.

XXXIII. Quum igitur Calvinianis non satis constet, quidnam hic sentiant, nos relictis illorum distinctionibus nullo fundamento intentibus, Deum omnes homines serio vocare, immodita nostra est sententia,

tentia, Nam ita loquitur scriptura sacra Matth. XXII. 2. *Ecce prandium meum parari, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata: Venite ad nuptias & cap. XI. 28.* Venite ad me omnes qui laboratus & eneratisti: ego reficiam vos. Esa. LXV. conqueritur Deus: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Neq; hic debebat nobis opponi, Evangelium non ipso actu prædicari omnibus; siquidem multi relinquerentur in statu naturæ, ut de Christo nihil audirent. Non enim quæstio est, an Deus ipso actu per Evangelii prædicationem in omnibus terræ partibus & angulis homines vocet; Nam hæc prædicatio potest multis modis impediri per illos, qui verbum divinum aspernantur & à se repellunt, Spiritui S. resistunt & sua corda obdurant; sed an. non vocatio sit universalis quoad Deum mandantem, ut Evangelium prædicetur omni populo, & serio volentem, ut ab omnibus audiatur, & beneficia in illo oblata verâ fide recipientur, illosq; serio vocet, qui venire nolunt. Quod autem talis detur vocatio, ex modo allatis Scripturæ locis & aliis solidè probatur.

XXXIV. Huc accedit, quod tribus distinctis vicibus verbum suum hominibus annunciarci curavit. *Ante Diluvium* Adamum non tantum creavit ad imaginem, cuius pars erat lux divinæ agnitionis, quam accepérat pro se & posteris, sed etiam imagine amissâ ex mera gratia promisit futurum esse, ut semen mulieris contereret caput serpentis. Quam promissionem omnes Adami posteri debuissent quidem in sinu gestare, nihilq; magis amplecti & in votis habere quam semen illud, quod in Veteri Testam. futurum erat; Quomodo autem hoc sit factum, testatur Caini malitia, & exitus à facie domini Genes. I V. Dei querela tristissima super illos habita, qui omni pietatis cultu neglecto adeò commoverunt Deum, ut ipsum poenituerit, quod fecerit hominès, Genes. VI. 6. Post Diluvium cum illis, qui ex arca egressi sunt, iniit pactum suum & juravit, interposito iridis signo conspicuo, se non amplius generali quadam inundatione terræ maledicturum Genes. IX. 9. Quomodo autem Noë posteri hujus pacti sint recordati, illud satis superq; testatur ipsorum inanis gloria cupiditas, & carnalis securitas. In Novo Testamento misit Deus proprium & Unigenitum Filium suum, qui ad se vocavit omnes homines, & jussit Apostolos ire in omnes terræ partes, ut prædicarent Evangelium omni creature.

XXXV. Neq; juvat Calvinianos, quod dicitur Psal. CXLVII. 20.

Non

Non fecit taliter omni nationi &c. Matth. XI. 22. Si in Tyro & Sidone factae essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pani-tentiam egissent. cap. X. 5. In viam gentium ne abieritis, & in civitates Sa-maritanorum ne intraveritis; & similia. Nam prior locus comparatè est intelligendus, & duntaxat dicit, gentes non tam solenniter esse voca-tos, quam Judæos. Quod cut Deus fecerit? nostrum est admirari, non scrupulosius inquirere. Secundus locus non tollit vocationis univer-salitatem, sed duntaxat dicit, Tyrios & Sidoneos non vidisse illa Chri-sti miracula, quæ viderunt Judæi. Tertius saltem hoc evincit, Apostolos ad tempus non debuisse ire ad gentes; Interim tamen vocatio est uni-versalis, quia facta est in locis celebrioribus & præcipuis orbis eo qui-dem tempore habitati partibus, unde ad reliquas famam facili negotio dimanare potuerit. Ita Ecclesia posita est super montem, si itaq; sit, qui in regionem quandam, ubi non sit ignis, velit ignem inferre, non tenetur, ut in singulas domos & casas ignem inferat; sed sufficit, si in lo-cis editioribus aut montibus ignis incendatur, unde reliqui facile pe-titum ire possint. Ita de vocatione res sese habet: licet enim Tyrii & Sidonii non audiverint Apostolos, Israëlitis tamen erant vicini: sed non obtemperaverunt? Unde Hieronymus in cap. 24. Matth. Non-puto, aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinū nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Et Tertullianus adversus Jud. cap. 3. enarrat, credi-disse, primis scilicet illis Ecclesiæ Christianæ ab Apostolis plantatae tem-poribus, Christo Getulorum varietates & Maurorum multos fines, & Br-e-tannorum in accessa Romanū loca, & Sarmatarum, & Dacorum, & Ger-manorum, & Scytharum & abditarum multarum gentium, & provinciarum & insularum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus.

XXXI. Quod verò quām plures hodiè repertiantur Gentes verbi præconio ex justo Dei judicio destitutæ, causa non est penes Deum, sed propriā ipsarum culpā evenit; quandoquidem peccatis suis poenas illas justissimas sibi attraxerunt. Infantes infidelium quod attinet, quum foris sint, Deo incorrupto judici & mitissimo parenti judicandos relin-quimus, & nihil temere affirmamus. Et licet non vocentur extra Eccle-siam, vocantur tamen in Ecclesia; Vocati etiam sunt in suis Majoribus: Deus Sacramentum Baptismi pro ipsis quoq; instituit. Quod verò non offerantur, culpa residet in Parentibus. Quapropter Deū absolute ipsos

D

non

non reprobare evidenter patescit. Si vero quis altius ascendere, causamq; inquirere velit, cur gentilium infantuli morte præveniantur in infantili ætate, priusquam converti possint, illi hac responione me satisfactum plane confido; Deus est summè misericors, & vult omnes omnino homines salvos fieri & neminem perire; Est etiam omniscius, ideo ab omni æternitate, in luce omnisciæ suæ novit, quinam salutis media sint accepturi, qui repudiaturi: Hinc colligimus, si infantes illi adultiores facti, salutis media grata mente accepturi & Ecclesiæ cœtu sese fuissent aggregaturi, tum utiq; Deum illud præscivisse, & pro immensa sua misericordia in infidelitate ipsos perire non permisisse. Quum autem temporaliter & æternum perire permittat, ipsos non esse oblata media accepturos, sed gratiam ejus, per Christum factam, repudiatus, prævidit & ea propter non vocavit. Atq; hæc dicenda erant de electionis modo, quod nimis Deus non absolute, sed in dilecto Filio tanquam unico salutis nostræ fundamento juxta propositum complectens omnes causas & media salutis nostræ omnes finaliter credentes elegerit. Reliquum est, ut hanc doctrinam nobis nunquam non quam commendatissimam habeamus, atq; ex ea assidue & pio animo discamus, vocationem nostram postulare, ut gratiam divinam extollentes, piè & sanctè vivamus, quod tandem mortalitate nostra expletâ post hanc vitam, illud ad quod electi sumus, consequamur & in omnem æternitatem possideamus.

Tq̄ Th̄ dōz̄.



Præstantissimo & doctissimo
DN. WILHELMO HENKENIO,
De Prædestinatione disputanti.

D Amna dolens hominum clemens Miserator
Jöva

Abs se degeneres revocavit Sanguine Nati,
Nec nostrū quenquā æternā vult morte perire.
Hocce negat mala mens: Tibi stat defendere

amorem ad omnes

Quo cunctos spectat Pater, & meritum, quod
Pertinet æterni Patris Nati, sic ad astra

Itur. Tū *Wilhelme* viam hanc calcato: parabis
Hac ratione tibi nomen, post dēinde salutem.

Johannes Quistorpius, D. & Theo-
logica Facultatis Senior.

Non hominis mortem volo, sed vitam, Deus in-
Et trihuis mortem turba molesta Deo? (quit:
In Janis; vitam quisquis prædestinat, idem
Humano generi destinat interitum).

Vox Stygi Sathanæ, sequitur quam calva caterva:
Hos aliter doceas, tu GUILIELME, loqui.

Joannes Niebaur/ D.
Quos

Quos vocet, *Electos in Christo*, pagina sacra;
Hic desudatus monstrat, *Amice*, labor
Grator *Sudori*, simul auguror: Inde sequetur
Tandem promeriti summus *honoris apex*.

Ita vovebat
Theodorus Pflug / Nob.
Oldenburgi

TEl libros volviſſe ſacros noctuq; diuq;
Hisce tuis theſibus, Sympatriota, doces
Perge ita: provenient ſuperato digna labore
Præmia, quæ nullo ſunt peritura dic.

Sic ex animo gratulor
Henricus Kerker / Frisius.

FAucibus horricrepi multos *Prædestinat* orci
CALVINUS, multos poſſe perire negat.
Tu melius doctus quoſ lata Vocatio Christi
Eligat atq; beet, *Dulcis Amice*, probas.
Gratulor his ausis, ſuccedent tempora, quæ iſ te
Eliget Electos Joya vocare fratres.

Joan-Henrich Hannekenius,
Oldenburgens.





Præstantissimo & doctissimo

DN. WILHELMO HEN

De Prædestinatione dispu

D Amna dolens hominum clem

Jöva

Abs se degeneres revocavit Sangu

Nec nostrū quenquā æternā vult

Hocce negat mala mens: Tibi s

amorem

Quo cunctos spectat Pater, & m

Pertinet æterni Patris Nati, sic ad

Itur. Tu Willhelme viam hanc cal

Hâc ratione tibi nomen, post dñe

Johannes Quistorp
logica Faculta

Non hominis mortem volo, sed t

Et tribuis mortem turba mole


In Janis; vitam quisquis prædestinat.

Humano generi destinat interitum

Vox Stygi Sathanæ, sequitur quam c

Hos aliter doceas, tu QUIL I

Joann



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 42

a:
oqui,
r/ D.
Quos